

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gravamina sacri Romani Imperii principum ac procerum

[S.l., Mainz], 1523

Qvibvs mediis innvmeram pecuniae summam, mendicantium ordnies
romam importent, uriginum et uestalium monasteria molestent

[urn:nbn:de:bsz:31-114121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-114121)

gistratus uetent, ne ecclesiastici ita a decoro & honesto de-
uiant, ut ijs se inuoluant negocijs, circa quæ uix laicos oc-
cupatos esse decet.

QUOMODO ECCLESIASTICI
moribundis, ut suos & legitimi-
mos hæredes defrau-
dent, persuadeant.

INter cætera etiam hoc obticendum est nequaquam,
quum non minimum sit onus, quo Germani grauan-
tur, quod regionum peruagatores, quos uulgo Termina-
rios ac Stationarios uocant, monachi & sacerdotes, infir-
mos, animamq; iam iam agentes: ac præsertim eos, qui-
bus æs esse in cista norunt, temporalibusue bonis abun-
dare compertum habent, blandiloquẽtia, adulatione, uer-
bisq; uenustulis: ut ad pessima quæq; hoc genus hominũ
semper plus æquo instructum est, atq; paratum: adoriun-
tur, circumueniunt, persuasionibusq; ficticijs eo tandem
adducunt, quod si potiorem & pecuniarum & bonorum
partem in testamentis legant. Qua re liberi, agnati, ac cog-
nati, reliquiq; sui & legitimi hæredes, quibus potius tota
hæreditas illesa reliquenda erant, contra omnem æquita-
tem, mirum quàm iactura adficiantur: interdumq; ad mi-
seriam usq; adigantur.

QVIBVS MEDIIS INNVMERAM PE-
cuniæ summam, Mendicantium ordines
Romam importent, uirginumq;
uestalium monasteria
molestent.

QUum nemini dubium sit, ijs qui iure experiri uolunt
pecunia, eaq; non modica opus esse, & pleriq; men-
dicantium ordinum regulis addicti, multas caus-
E sas atq;

fas atq; lites iniudiciali contouersiam, non sine magno ordinariorum, parrochorum atq; laicorum detrimento, contra phas, nephasq; immo nulla omnino necessitate exigente, Romam pertrahant. Tribus insuper eorum generalibus, quos uocant, Cardinalicij galeri dignitatem, innumera, ut fertur, pecunia comparauerint. Non parum timendum est, ne nō præfati mendicantiū ordinibus subiugati, multa sacrarum uirginum: & præsertim ea, ubi se solos dominari norunt: monasteria, in quibus Principū, Comitum, Baronum, Nobilium, ac ciuium liberi frequenter uitam uiuūt, pecunijs expilent, ac depeculentur, & eis dehinc quibuscunq; alijs modis, interitus perniciet: molestiarum, uariorumq; incōmodorum radix atq; origo fient. Interimq; misere, captiuas moniales, sub perpetui pœna carceris adigant, ne cuiquam alijs, quo secū pacto agant manifestēt: id quod quibusdam in locis plus nimio, prohdolor, compertum est. Quibus uero pharmacis huic morbo mederi possit, cogitandum relinquitur. Num præstaret, quod uirginum monasterijs, ac mendicantium ordinibus, in meri ac mixti imperij iurisditiōibus sitis, quibus hæctenus per iurisdictionū magistratus, ac potestates, nulli præfecti essent curatores, seu dispensatores, duo, ætate, moribus, ac probitate perspicua præstantes uiri, unicuiq; tali monasterio seorsim præficerentur, qui omnibus eorū communibus computationibus, acceptorum uidelicet, et expensorum interessent: quibusq; curæ esset, ne in posterum prædicta uirginalia cœnobia, a mendicantibus monachis, eorū non necessaria præsentia, uel quocunq; alio modo grauarētur. Quaua re proculdubio efficeretur, quod dictorum monasteriorum annui fructus, census, redditus indies augerentur: monalium personæ in magnum usq; excrescerent numerum: & sic multo melius, uberius, utilius, quam si ipsarum pecunia, uel Romam, uel in alium quempiam locum indecentem, conferatur, sustentari possent.

DE ROMA.